

SCRIPTA

Numéro Scripta : 4522

Auteur(s) : Étienne Ier, Dol (évêque)

Bénéficiaire(s) : Poilley, Notre-Dame de Montmorel (abbaye, abbé)

Genre d'acte : charte

Authenticité : non suspect

Datation : 1247, 14 février

Lieu d'émission : Dol-de-Bretagne

Action juridique : confirmation

Langue du texte : latin

Analyse

Étienne, évêque de Dol, confirme tous les revenus que les chanoines de Notre-Dame de Montmorel possèdent dans le diocèse de Dol.

Tableau de la tradition

Éditions principales

a. Dubosc François, *Cartulaire de la Manche*, abbaye de la Luzerne, abbaye de Mont-Morel, prieuré de la Perrine, Saint-Lô, Jacqueline fils (Archives départementales de la Manche), 1878, Mont-Morel, n° CCI, p. 200-201.

Texte établi d'après a

Universis sancte matris Ecclesie filiis ad quos presens scriptum pervenerit Stephanus, divina permissione, Dolensis episcopus eternam in Domino salutem. Noverit universitas vestra nos omnes redditus canonicorum Beate Marie de Monte Morelli quos in episcopatu nostro, ex donatione Xpisti fidelium, possident, et omnia que eis juste et canonicè collata sunt et in posterum justis modis conferentur sub nostra suscepisse protectione et collata approbasse, quantumque in nobis est, salvo jure episcopali, confirmasse, de quibus ea propriis duximus exprimenda vocabulis que possident : ex dono Hasculfi de Solligne et Ysepdis, uxoris ejus, illud tenementum quod Galanus dictus Gula tenuit apud Paluel ; item, ex dono Guillelmi de Argogiis, clerici, clausum de Pulchra Insula ; item, ex dono Joudoini de Dolo, filii Johannis de Dolo, militis, duas minas et dimidiam frumenti de terra verderie apud Paluel cum clauso de la Rage ; item, ex dono Guillelmi, presbiteri de Paluel, clausum de la Foliete ; item, ex dono Johannis de Dolo, militis, domini de Comburnio, totam terram quam dicti canonici clauserunt apud Paluel vel de cetero claudere poterunt inter mare et clausuras suas de Pelleloielle, cum dicis infra clausuras terrarum predictorum canonicorum contentis ; item, ex dono dicti Johannis ecclesiam de Paluel cum omnibus pertinentiis suis ; item, ex dono dicti Johannis tredecim chabocellos frumenti quos predicti canonici eidem reddebant de clausuris suis novis et quatuor chabocellos frumenti et octo solidos Turonensium quos ipsi predicto Johanni solebant reddere de terris quas Gilo, clericus, filius Oriendis La Danebaude, eisdem contulit con assensu Johannis prenotati ; item, ex dono Gaufridi Apolloine, tenementum Guillelmi Joudoini et duo jugera terre sita juxta tenementum dicti Guillelmi, de dominico suo in parrochia Sancti Marchani ; item, ex dono Ade de Paluel terram suam de Peilloielle ; item, ex dono dicti Gilonis, clerici, et Gaufridi Apolloine, unam minam frumenti annui redditus et decem et octo denarios con Johanne Farsi, et unum boissellum frumenti con Ricardo Boistart et participibus suis ; item, ex dono Alani Apolloine, terram quam Johannes Farsi emit de Graalemo Forre, de Ardevon, et participibus suis, sitam juxta domum Rualemi de Jardin, con tota terra sita inter dictam terram et cheminum juxta molendinum ad ventum, quam terram predictus Johannes de Dolo contulit canonicis memoratis ; item, ex dono Guillelmi de Langeviniere, militis, con assensu

Johannis de Langevinnere, filii sui primogeniti, dimidiam minam frumenti con Thoma Maupoint et participibus suis. Has autem elemosinas et donationes quas dicti canonici habent in episcopatu nostro et alias, si quas habent vel de cetero justis modis habere poterunt, ratas habentes, salvo jure nostro in omnibus, confirmamus, presentem paginam sigilli nostri munimine in hujus rei testimonium, roborantes. Datum anno Domini M° CC° XL° sexto, die jovis proxima post Cineres, mense februarii apud Dolum.